

*quam officio paupertatem tueri.* Si quis hoc modo exposuerit argumentationem, ut non curet quaerere, qualis ratio aut rationis confirmatio sit, ipsam facile reprehendemus expositionem, quum ostendemus, id, quod in aliquo paupere improbo sit, in omnes pauperes falso et injuria conferri.

Item vitiosa expositio est, quum omnes res ostendimus nos collegisse, et aliquam rem idoneam praeterimus, hoc modo: *Quoniam igitur hominem occisum constat esse, necesse est aut a praedonibus, aut ab inimicis occisum esse, aut abs te, quem ille heredem testamento ex parte fecerat. Praedones illo loco numquam sunt visi; inimicum nullum habebat. Relinquitur, si neque a praedonibus, neque ab inimicis occisus est, quoniam alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te sit interemtus.* Nam in hujuscemodi expositione, reprehensione utemur, si quos praeterea, quam ille dixerit, potuisse suscipere maleficium ostenderimus: velut in hoc exemplo, quum dixerit necesse esse aut a praedonibus, aut ab inimicis, aut a nobis occisum esse; dicemus potuisse vel a familia, vel a coheredibus nostris. Quum hoc modo illorum collectionem disturbaverimus; nobis latiore locum defendendi relinquemus.

Cap. XXI. Item vitiosa expositio est, quae constat ex falsa enumeratione; ut si, quum plura sunt, pauciora dicamus, hoc modo: *Duae res sunt, judices, quae homines ad maleficium impellunt, luxuries et avaritia.* Quid amor? inquiet quispiam; quid ambitio? quid religio? quid metus mortis? quid imperii cupiditas? quid denique alia permulta? Item falsa enumeratio est, quum pauciora sunt, et plura dicimus, hoc modo: *Tres res sunt, quae homines sollicitant, metus, cupiditas, aegritudo.* Satis enim fuerat dixisse metum et cupiditatem; quoniam aegritudinem cum utraque re conjunctam esse necesse est.

Item vitiosa expositio est, quae nimium longe repetitur, hoc modo: *Omnium malorum stultitia est mater, quae parit immensas cupiditates. Immensae porro cupiditates pariunt*